



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 59. Florentini ad Gallorum partes a Rege sollicitati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

§. LIX.

*Florentini ad Gallorum partes a Rege sollicitati.*

*Guic. l. 10.* **D**emum Helvetiis recedentibus, Galliarum Rex ingenti metu liberabatur; tum vero primum cognoverat, quam necessarium esset, ut validiorem exercitum in Mediolanensi Ducatu aleret; quocirca ingentem pecuniarum summam, qua Gasto Fuxus milites in supplementum legeret, a mensariis eidem numerari omnesque cataphractos, quotquot in Gallis habebat, Alpes superare iussit, exceptis ducentis lanceariis, quos ad Picardiæ fines tuendos reliquerat, veritus, ne Anglorum Rex hac ex parte in Regnum irrumperet; demum Oratori suo, qui Florentiæ Gallorum res procurabat, præcepit: Florentinos induceret, ut haud amplius suspensi hæerent, sed unice Gallis sua studia devoverent. Ast illi haud tam obtuso valebant ingenio, ut non prospicerent, quod sese, si Ludovici XII. petitis annuerent, gravissimo implicarent bello, cujus exitus valde anceps esset, quocirca quamvis Soderinus Reipublicæ vexilifer, Vir Gallis addictissimus illos ad amplectendas Gallorum partes permovere summis conatibus satageret, potissima tamen Florentini Senatus pars nihil innovan-

novandum, sed pristinis Rempublicam Sæcul. XVI.  
inter & Franciam foederibus insistendum A. C. 1511.  
censebat; his denuo, incassum licet, Soderinus reposuit, eos opinione falli, veteribus enim Florentinorum negotiis novas, easque maximi momenti res accrevisse, illumque a partium studio alienum animum, qui hucusque eorum salutis fuisset, brevi extremam Reipublicæ ruinam illaturum; parum enim abfuturum, quin Medicæi in Florentinum imperium reponerentur; id vero, ne fieret, præter Regem Christianissimum, nulli alteri integrum esse. Ast Respublica insuperhabitis Soderini rationibus neutri parti sese addicere statuit.

## §. LX.

*Florentinorum Deputati ad Franciæ Regem, & Fœderatos.*

Nihilominus Florentini, ut justo modamine Soderini indignationem declinarent, in quasdam conditiones consenserunt, quarum nonnullæ Galliarum Regi, aliæ vero fœderatis eo consilio proponerentur, ut ab utriusque partis studio semoti vivere permitterentur. Hujus rei cura Valorio, & Guicciardino mandata fuit: ille ergo ad Franciæ Curiam, Guicciardinus vero ad fœderatos deputatus est; neuter tamen habuit prosperum

*Guicc. l. 10.*